



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Litterae Archipresbyteri de officijs praestitis. n. 21

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Collegium nostrum Duacenum locupletavit, in prinis illo viro, mi Edmun- 1587.
 de, procurante qui vestri totius Ordinis Princeps & Praefectus cum sit, tantum 20, Decemb,
 pro nobis studio & pietate voluit contendere, quantum gratia & auctoritate 75.
 valuit obtinere; ut nos qui antea Societatem illam pari semper cum caeteris
 reuerentia pro suo sanctiori merito profecuti sumus, nunc beneficio quoque
 ab eadem affecti singulari, multo praeter caeteros amare, amplecti, venerari de-
 beamus) Societatis nostrae opera Collegij in vrbe redditus amplificati sunt, ip-
 sumque Collegium in hanc amplitudinem adductum. Societati nostrae accep-
 tum fert Seminarium Rhenense annuam a Rege Catholico bis mille aureo-
 rum pensionem: Tantundem Sanctimoniales Brigittenses Olyssipone: Socie-
 tatis in gentem nostram amorem & studium ostendunt tria ampla Seminaria,
 Vallisoletanum, Hispalense, Audomarense, nihilo Romano inferiora, ex qui-
 bus plurimi Sacerdotes in hanc Messem destinati sunt; plures cum Deo bono
 mittentur. Monumenta quadam perpetua sunt illius amoris quo Societas
Iesu nationem Anglicanam profecutur varia per Belgium virginum Mona-
 steria; Exules Angli ubique ab Societate summo amore ac beneuolentia excep-
 ti. Quin ad ipsas trimes penetravit Societatis caritas, vnde non pauciores tre-
 centis *Personij* industria erepti sunt, e quibus quatuor & triginta Neapoli non
 libertate tantum, sed nauis quam amiserant, & bonis quibus spoliati fuerant
 donati sunt. In Anglia vero ipsa neminem latet quanta solitudine elemosi-
 nae olim pro Presbyteris regnum primum ingredientibus a Societate conqui-
 rebantur. Et licet alias necessitates non omnino neglexerit Societas (neque e-
 nim omnes per nos subleuari possunt, & publicae collectionis negotium, tan-
 quam Laicis, non nobis conueniens, penitus rejicimus) illam tamen Sacerdo-
 tum Nouitiorum curam ita sensit Societas onerosam ut teste *Garnetto*, intra
 annum vnum hoc nomine ducentas minimum libras nostrates insumperit.
 Quantum deinde studium nostrorum de Presbyteris certo in domicilio col-
 locandis: Et quam multi singulis pene in Prouincijs reperiuntur qui a nobis fu-
 ere commendati.

XXI. Quo de vtroque capite testem habemus amplissimum ipsum Do-
 minum Georgium Blackwellum, qui post viginti annos in Anglicana vinea
 excolenda expletos, huiusmodi turbarum indignitate commotus, haec ad Car-
 dinalem Protectorem manu propria conscripta transmisit. "Tantum ab-
 sunt illi pij Patres ab omni appetitu dominij, ut nobis in omni loco insignis hu-
 militatis, mansuetudinis, patientiae, pietatis, & caritatis exemplar praefor-
 marint. Valde certe ingrati essemus si non illos honore prosequeremur, ut Pa-
 tres; amore complecteremur, ut Amicos; officio coleremus, ut Beneficos; studio
 imitaremur, ut Magistros, pietatis affectu agnosceremus, ut Patris alius, &
 Ecclesiae apud nos varijs tempestatibus iactatae praecipuos Adiutores & acerri-
 mos propugnatores. Qui illis detrahunt, nec illos nec seipsos norunt: Nam
 qui sunt apud nos qui aduenientibus Presbyteris ex transmarinis partibus auxilio
 sunt, nisi Patres Societatis *Iesu* Domo exclusi ab illis excipiuntur; indumento

Literę.
 Archipres-
 byteri, de
 societate.

1587. laceri, ab illis commodè & comprè vestiuntur; victu destituti & pecuniâ, ab illis sustentantur; & nescientes vbi commorentur, quia ignoti, ab illis e- quos & alia ad iter necessaria habent paratissima, & loca etiam prudentissi- mè designata, vbi in lapsis recuperandis, Catholicis confirmandis, & in Dei cultu propagando laudabiliter laborare possunt. Neque his fini- bus concluditur eorum caritas; Nos enim ipsi qui pondus diei & æstus per plurimos annos sustinimus ex eorum fontibus in nostra necessitate plu- rimum alleuamenti & consolationis habuisse profitemur. Si sciret Amplitu- do vestra quantum pecuniarum in talibus & alijs pietatis officiis Patres in- sumperint, & quàm promptè ad sanctos refocillandos in Carcere derentos, & alios variis rerum ac temporum difficultatibus implicatos & oppressos illi semper accurrerint, non dubito quin actutum coerceret effrenatam auda- ciam eorum qui inuidiæ stimulis agitati de Patrum existimatione ac caritate quidquam imminuerint. Inuidia virtutis comes est, sed vt fumus sic illa ini- tio præualeat, & mox illustratis rebus quibus inuidetur euanciscit, Itaque in spem maximam inducor futurum vt quas tenebras maleuoli Patrum splen- dori offuderunt, illas omnes patefacta rerum veritas dilipet, Amplitudinemq; Vestram prouisuram ne detrahentium licentia tam libere volitet ad bono- rum offensionem, & iacturam Catholicæ fidei, cuius huc vsque (vt vrât Cypriani verbis) mansit per Dei gratiam apud nos robur immobile, & con- tra omnes incurtus oblatrantium fluctuum stabilis & inconcussa virtus.) Hæc Blackwellus; cui plures si necesse esset, adiungere liceret in ean- dem sen- tentiam scriptores; videri autem possunt in relatione visitationis factæ per Cardinalem Segam Clementi Pontifici oblata.

Neque verò iure quisquam nos accuset quod vel vnum ex sede suâ expel- lere conati simus: longè id à nostro proposito abhorret: Bonis Sacerdotibus sedes optamus bonas; Inquietos verò si qui retinere volunt, maximas illis gra- tias habebimus; ita enim minus liberè vagari poterunt ad aliorum animos sollicitandos, & longius aberunt à periculo lapsus & Apostasiæ. Huc acce- dit incredibilis labor, sollicitudo, sumptus, periculum in adolescentibus & virgi- nibus, eorumque pecunijs transmittendis: Perpetua ferè primis temporibus in plerisque nostris Residentijs hospitalitas, præsertim erga Sacerdotes qui cer- to hospitio erant destituti; in expediendis ab vrbe negocijs non mediocri cura, & infinita alia quæ ab alijs commemorari decentius possunt quam à nobis: Quibus omnibus in officijs id solari nos quàm maximè par est quod in quibus- dam suis Eminentissimus Protector quondam scripsit, cum sortem nostram fe- licissimam videri affirmaret, eoque magis quòd cum omnibus benefacere sata- gamus non ab omnibus fortasse perinde nobis gratia referatur, quò sit copiosior alterius vitæ retributio.

v. supra
no. 14.
Propositū.
quorun-
dam de re-
stringendis
Religio-
forum offi-
cijs in An-
glia,

XXII. Neque enim (vt numero decimo quarto notatum est) defuere qui- bus propositum fuit Religiosorum hominum officia in Anglia arctis limitibus circumscribere, & Societatem vniuersam ex Insula euocare. Hoc enim scrip- tum